

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertationes refutatoriae synodalis ab Heinrico Heideggero professore Tigurino adversus sacras

Reding, Augustin

Monasterii Einsidlensis, 1669

Dissertatio VI.

[urn:nbn:de:bsz:31-162659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162659)

Heideggerus idololatriæ infimulat eos, qui cum fictione habitationis typicæ, sive in figurâ adorant quasi Deum. At quia verba Christi Eucharistiam instituentis ex suâ proprietate significant realem Corporis, & Sanguinis sui præsentiam, quomodo absque fictione potest Christus adorari in Eucharistiâ, tanquam merâ Christi præsentiae figurâ? An non igitur hanc figuram majori titulo dixerim idolum, quàm illam quasi virtuaalem Christi in Sacello Eremitano per se ipsum consecrato, præsentiam?

DISSERTATIO VI.

An fide historicâ certi esse possimus, apparitionem illam in Sacello Einsidlensi verè Divinam, & non potiùs ingeniosis hominum, vel sathana strophis fictam, & expressam esse?

I. **A**ffirmat Heideggerus cit. S. 170. non deesse sibi argumenta probabilia, quibus historiam apparitionis, & dedicationis illius in dubium revocetur.

cetur. Etenim *Primò*, solenne, ait, fuisse sequioribus sæculis, quibus superstitione invaluit ad stabiliendam invocationem Sanctorum, & implendam Clericalis cupiditatis voraginem, ejusmodi templorum & sacellorum dedicationes fingere, & cæcæ hominum credulitati obtrudere. De Dedicatione Templi Dionysij à Dagoberto ædificati, à Christo, Petro, Paulo, Dionysio, Rustico, Eleutherio peractâ, figmentum Sacerdotum quorundam Episcopo Parisiensi dedicationis aucupium invidentium, referunt Vincentius *lib. 23. 26.* Robertus Gaguinus *de gestis Francorum lib. 3.* Cranzius *in Saxoniam lib. 1. cap. 22.* De Oratorij Turonensis dedicatione fabulosâ videtis Gregorium Turonensem *De gloria Confessorum. cap. 20.* Similem dedicationem ex Eabredo Anglo Monacho, & Abbate Rhiervallensi recitat Laurentius Surius Carthusianus *lib. 1. De vitâ Sanctorum.* Fictitiarum apparitionum exempla admetiri non modio, nec

trimodio, sed toto horreo liceret, nisi notiora essent, quàm imber, cùm pluit.

II. In hac Doctoris Tigurini argumentatione nihil planè reperio, nisi calumnias, magnamq; præsumptionè spiritûs. Nam quænam erant sæcula, quibus præsertim contra Vigilantium stabilita fuit invocatio Sanctorum? Nunquid ex Sancti Hieronymi Epistolâ *advers. Vigilant.* Divi Augustini *De Ecclesiast. dogm. cap. 73.* & alijs operibus elucet, hos ipsissimos sanctos tertio ad eò post Christum natum sæculo, contra hæresiarum Vigilantium propugnâsse Sanctorum invocationem? Nunquid autem ipsimet Reformati Doctores, nominatim Calvinus *lib. 1. cap. 11, sect. 12.* Breitingerus *Opusc. de sect. pag. 27.* Danzius *Epist. ad Georg. pag. 5.* Bullingerus *cap. 7. prima part. advers. Brent. cap. 14. system. logici,* coguntur fateri, primis trecentis, & quingentis, imò sexcentis à Christo annis viguisse in Patribus sinceram, in-violatamque fidei doctrinam; ita ut ve-

ra, pia, & erudita illorum sæculorum antiquitas in SS. Patrum scriptis hodieque conservata, sit habenda pro certâ fidei regulâ? Quo igitur jure asserit Heideggerus, sequentibus sæculis, quibus stabilita fuit invocatio Sanctorum, invaluisse superstitionem? Quâ fronte ait, illis sæculis ad stabilendam Sanctorum invocationem, solenne fuisse, dedicationes Einsidelis Sacelli consecrationi persimiles fingere? Quâ impudenti audaciâ effutit, veræ, piæ, & eruditæ sæculis illis florenti antiquitati solenne fuisse, ad implendam Clericalis cupiditatis voraginem, Sacellorum dedicationes ejusmodi cæcæ hominum credulitati obtrudere? At non mirum est, quòd eructet spiritum, quem ex Calvino hausit, unà cum Bezâ *advers. 3. part. lib. Brentij in fine.* non erubescens, S. Hieronymi scriptum, quo Sanctorum invocationem defendit, insimulare manifestæ idololatriæ.

III. Recenset quidem Heideggerus ex viris auctoritate, doctrinâ, & intre-

gritate ipso sanè superioribus, aliquot
 extraordinarias cœlitus factas templo-
 rum, seu sacellorum dedicationes, quas
 nullo prorsus argumento refutat, sed
 pro suâ licentiâ, absque ullo in medi-
 um producto fundamento, fictionis co-
 arguit. Unde hæ reverâ, calumniosâ
 exprobratione haud attentâ, in suo pri-
 stino stant robore. Et quia ipsemer Ga-
 briel Archangelus Beatissimæ Virgini
 annunciando Incarnationis mysterium
Luc. 2. conceptionis Christi in utero vir-
 gineo fidem confirmavit etiam ab ex-
 emplo foetus ab Elizabeth sterili con-
 cepti: liceat & mihi ab illis dedicati-
 onum cœlestium exemplis firmare Di-
 vinam Einsidlensis Sacelli consecratio-
 nem. Quòd autem ille Tigurinus Pro-
 fessor superaddat, fictitiarum appari-
 tionum exempla licere non modio, nec
 trimodio, sed horreo admetiri; aliter
 non admitto, nisi calumniarum, ac fi-
 ctitiarum impositionū mensuram in hac
 suâ, quantumvis brevi synodali Dissertatio-

tatione coagmentatam metiri libuerit.

IV. Verum ulteriora ex Heideggero audiamus. Eo, inquit, sæculo, quo miraculosa illa dedicatio successisse dicitur, nemo Ecclesiasticorum scriptorum ejus meminit: Unde adversarij, quos allegent, non habent testes, nisi duos Hermannum Contractum, & Martinum Pœnitentiarium: quorum ille vixit integro post dedicationem illam sæculo, hic verò plus, quàm tribus. Et tamen Hermannus Contractus esse verba illa, quæ circumferuntur, minùs certum est: quia pro certo constat, Monachum Chronicon ejus compluribus privum in usum adiectis interpolasse. Patet hoc comparantibus inter se varias ejus editiones. Ita enim in Germanicorum scriptorù tomo, qui fide, & studio Christiani Urstisij prodijt, nec non Canisij *Antiq. lect. to. 1.* Proinde reliquorum scriptorum omnium silentium altissimum arguit, apud Contractum pauca illa verba: *Capella in cenobio S. Meinradæ*

calitius consecrata est, esse à Monachis posterioribus inserta.

V. Levia sanè argumenta profers, Heideggere. Ostende, si potes, in aliquâ Hermannii Contracti notoriè antiquiori editione, illa verba esse omissa, & tunc aliquod proferes indicium de tali additione. Sed unde probas, illud reliquorum scriptorum altum de Sacello Divinitus consecrato, silentium? Unde demonstras, nobis non nisi duos, quos allegemus, Divinæ illius dedicationis esse testes? Nunquid enim Sanctus Conradus testis omni exceptione major publicum de hac edidit Monumentum, seu librum, inscriptum *de Secretis Secretorum*? Nunquid Sanctus hic Antistes contra publico Papæ, & Imperatoris, nec non Imperatricis, plurimorumq; Episcoporum, ac Principum Romanorum, atque Teutonicorum consistorio, suum proprium, ac religiosorum fratrum, ceu testium de visu testimonium omni exceptione majus super illâ mysteriosâ conse-

consecratione edidit? Nunquid cœlesti etiam voce, audiente totâ frequentiâ populi, tribus iteratis vicibus allatum est testimonium, ab illo tam factorum, quàm profanorum Principum Consistorio legitimè approbatum: CESSA, CESSA FRATER, DIVINITUS CAPELLA CONSECRATA EST? Nunquid ergo totus populus exinde factus est testis de proprio aud. tu? Nunquid publico exinde iudicio Principum tam Ecclesiasticorum, quàm sæcularium lata sententia, non solùm transfijt quasi in rem iudicatam, sed tantam consecuta est firmitatem, ut ante sæculum proximè præteritum nemo allegari possit, qui præsumpsisset contradicere? Nunquid igitur taliter divulgata est illa Divina consecratio, ut maximo confluentium concursu, non tantùm Germania, sed viciniore saltem Galliæ, ac Italiæ Regiones de illius Sacelli sanctitate, ultrà jam septingentos años, ipsomet etiam Heideggero fatente, testes fierent? Nunquid to-

ta civitas Tigurina usq; ad Annum 1523. publico etiam voto annuatim per solennem Processionem soluto, publicum de hoc tulit testimonium? Nunquid ipse etiam Heideggerus nolens volens, Mysterij hujus factus est testis, asserendo, lippis & tonsoribus notum esse, quantâ inde à tempore scilicet divulgatæ illius Divinæ Consecrationis in veneratione hodieq; sit Eremitanum Divinitus consecratum Sacellum? Nunquid denique Christus ipsemet de hoc Mysterio apertum reliquit testimonium super Sacelli januam, per sacræ manûs suæ, ac digitorum in lapidem impressionem, hodiequè cultam pio peregrinantium zelo, ac studio?

VI. Sed pergit Heideggerus: Non habent igitur usque ad sæculum decimum tertium, quo Martinus Pœnitentiarius vixit, ullum certum, cujus fidenter niti possint, ejus rei testem. Neque causari possunt, idoneos interea defuisse memorandæ illius Dedicacionis Autho-

res.

res. Nam sæculo decimo Windichinus
Cænobij Corbejenſis Monachus, Otto-
nis I. qui confirmationem hujus mira-
culofæ dedicationis à Leone VIII. impe-
trâſſe, & Meinradi Sacellum viſitâſſe di-
citur, vitam & geſta litteris mandavit.
Sæculo undecimo florûere Beruo Au-
gienſis Cænobij Abbas, Lambertus
Schaffnaburgienſis, qui annales Germa-
niæ produxit uſque ad Annum 1077. &
Eccleſiarum dedicationes diligenter an-
notavit, nec non Marianus Scotus, qui
Chronicon egregium poſteritati man-
davit. Sæculo duodecimo claruerunt
Sigebertus Gemblacenſis, cujus Chro-
nicon incipit ab Anno 381. & per ductum
eſt uſque ad Annum 1112 quo ipſo etiam
obiit: nec non Abbas Urſpergenſis, qui
in Chronico ſuo Annales ſæculi noni
non indiligenter perſequitur. Apud om-
nes hos, alioſquè ſæculorum iſtorum
ſcriptores de maximo illo Dedicationis
Eremitano miraculo, præter profun-
dum ſilentium, nihil reperire eſt.

VII. Mirum est, quòd Tigurinus Doctor vel unum saltem de maximo illo Eremitana Dedicacionis miraculo testem, cujus fide tutò niti possimus, admittat; quanquàm ex dictis pateat, sui esse valde immemorem, dum tot testimonia à se ipso recensita, nec ullo modo refutata, credit esse suppressa. Et verò Dialectices se valdè imperitum prodit, dum ab autoritate negativâ conatur argumentari. Nam, ut ab Abbate Urspergensi exordiar, hic in suo Chronico de Anno 964. aliud non habet, nisi quòd Otho Imperator in Natali Domini moratus sit Romæ, ejusque filius sit ibidem coronatus. Annè igitur argumentari licebit, nihil aliud ab ipso fuisse tunc Romæ agitatum? S. gebertus Gemblacensis de Anno 963. exponit, qualiter Leo Papa fuerit secundâ vice ab Othone Imperatore restitutus, sed omninò tacet de coronatione filij Othonis II. ac nè verbo quidem meminit eorum, quæ Otho Imperator Anno 964. egerit. Annè

nè igitur illa Othonis II. coronatio reprobanda, Othoquè primus per Annum 954. omninò otiosus fuisse dicendus erit? Marianus Scotus de Annis 962. 963. 964. 965. & 966. alia non habet, nisi quòd Leo Anno uno, mensibus quatuor, Benedictus mensibus duobus, diebus quinque, Ioannes Annis novem sederit, interea objerit Romanus Græcorum Rex, & Otho filius Othonis Imperator à Ioanne Papâ sit coronatus? Rectenè igitur asserere licebit, ea, quæ ab alijs historicis feruntur hiscè annis gesta, esse conficta? Si Lambertum Scaffnaburgensem, & alios, quorum tacitè, vel expressè meminit Heideggerus, scriptores noni ac decimi sæculi (quos brevitatìs gratiâ recensere omitto) perscruteris, invenes h istoriam valdè jejunè descriptam. Quis autem ex hoc arguet, ea, quæ in Archivij Principum & Ecclesiarum hiscè annis gesta reperiuntur, idèò falsa esse, quòd ab authoribus ejusmodi prætermissa sint? Certè sexcentos histo-

historicos numerare licebit, qui nullam prorsus de Tiguro faciunt mentionem, & qui ortum ejus describat cum certitudine, nemo est. Annè igitur ab auctoritate negativâ argumentando, licebit Tiguri originem ac universas scripturas in hujus civitatis Archivio asservatas vocare in dubium? Vides igitur, Heidegger, quò devenires, si tuus ab auctoritate negativâ argumentandi modus contra expressa Dialectices præcepta locum haberet. Et verò ex historicis à te relatis hoc saltem erues, quòd Otho illo ipso tempore Romæ egerit, quo publicum illud de Divinâ Einsidensis Sacelli Dedicatione Decretum, instrumento etiam authentico firmatum emanavit, quod proinde ab illis quoquè historicis plus accipit firmitatis, quàm ex tuâ argumentatione possit vel modicè labefactari,

VIII. Instat Heideggerus: Applicent jam adversarij suæ huic narrationi eas cautiones, quibus historiam de Iohannâ

Pa-

Papissâ convellere conantur. Inter alia Baronius Anno 853. n. 65. ita argumentatur: *Silentium ipsum tanti temporis* (Annorum ducentorum & triginta, quibus posterior fuit Ioannâ Papissâ Marianus Scotus) *de re tantâ, tot emergentibus tantum nefas declamandi occasionibus, plus quàm mille dixeris testes juratos ad certam, exploratamquè fidem faciendam de fabulâ & vanitate & falsitate.* Id potiori jure nunc usurpabimus adversùs dedicationem Eremitanâ. *Silentium ipsum tanti temporis* (plus quàm 300. Annorum) *de re tantâ, tot emergentibus tantum miraculum declamandi occasionibus, plus quàm mille dixeris juratos testes esse, ad certam, exploratamquè fidem faciendam de fabulâ Eremitana vanitate & falsitate.* Accedit Othonis I. Imperatoris diploma An. 965. adeòque decimo septimo post Dedicationem Anno scriptum, & manu ejus propriâ, ac annulo sigillari munitum, quod suspicionem non levem præbet. In eo enim, cùm mentio fiat Meinradi Cellæ, Eberhardi Eremitæ, nec non Gregorij;

gorij; tamen cælestis hujus miraculi nè
 exilissimum quidem vestigium apparet.
 Et tamen referebat plurimū, ejus men-
 tionem nequaquam omitti, cum eo di-
 plomate Imperator Monasterio Eremitano
*Immunitatem, & auctoritatis suæ privi-
 legium* impartiverit. Hoc enim miracu-
 lum recenti omnium memoriæ inscul-
 ptum, argumentum fuisset efficacissi-
 mum, ad immunitatem & privilegia ea
 toti Cœnobio elargienda.

IX. Doctor ille Tigurinus, si sincero
 oculo legisset Baronium à se citatum,
 facile adverisset, Baronij argumentum
 circa Ioannem Papissam, ex tanti tem-
 poris silentio petitum, non procedere
 ex solâ negativâ auctoritate, sed stipari
 multis conjecturis, ac præsumptio-
 nibus valde verisimilibus. Et quia Ma-
 rianus Scotus primus illius fabulæ as-
 fertor reperitur, non inmeritò Baro-
 nius ducentorum annorum silentium
 pro falsitatis fundamento ponit: quo-
 modo enim Historicus ducentis annis
 poste-

posterior asserat aliquid, de quo nullus
 usquam anterior scriptor, vel scriptura
 aliqua authentica faciat mentionem? E-
 contra verò tantum abest, ut Divina
 Einsidensis Sacelli Consecratio trecento-
 rum (uti Doctor ille Tigurinus sup-
 ponit) annorum sit passa silentium,
 quin potius publico Papæ, Imperato-
 ris, & Imperatricis, nec non plurimo-
 rum Episcoporum ac Principum tam
 Romanorum, quàm Teutonicorum ju-
 dicio, firmata & authentico Instru-
 mento roborata, exindeque continuo
 fidelium concursu absque ullâ interrup-
 tione, in hodiernum usque diem rata
 habita fuerit. Anne igitur cum verita-
 te dixerit Heideggerus, illam Conse-
 crationem trecentorum annorum si-
 lentio delituisse? Nec alicujus momen-
 ti est, quòd Ortho I. in Diplomate sub
 Annum 965. emanato, tacuerit ejus-
 modi Divinam Dedicationem. Nam
 istud Diploma erat confirmatorium
 immunitatis, & authoritatis Privilegij
 ab

ab ipsomet Othone I. Thietlando II. Abbati concessi An. 961. antequam Consecratio illa Divina fuerit dicto modo stabilita. Illud ergo ab Heideggero allegatum, & Anno 965. emanatum præfati Othonis Diploma, mutatis duntaxat Abbatum nominibus, juxta Cancellariæ Imperatoriæ styllum, erat ipsdem verbis conceptum ac prius, nec adeo erat, cur illius miraculi fieret tunc mentio: quanquam tota illa Professoris Tigurini argumentatio iterum solâ negativâ autoritate nitatur, contra manifestas Dialecticæ regulas, ad quas meritò remittendus videtur.

DISSERTATIO VII.

*An ipsa circa Divinam Sacelli Einsid-
lensis Consecrationem traditionis varie-
tas, conjecturam falsitatis
suppedasset?*

I. **H**Eideggerus cit. S. 17. disserit in hæc verba: Denique ipsa traditionis circa Divinam illam Consecratio-